

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati milij
Witels.
¶ mas. er. q.
¶ hinc. 4. q.
¶ Mc. Joha: Leijob.
anno 1621.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Trigesima secunda,

De

I E I U N I O

ET

TENTATIONE CHRISTI.

Quam.

Annuente Θεανθεώπῳ

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum
proponit*

M. GEORGIUS CRUSSIUS
Borussus.

*Habebitur ad diem 31. Octob. horis pome-
ridianis*

In auditorio minori.

WITEBERGÆ

*Johannes Gorman excudebat,
Anno cl. I. CXIX.*

CHAPTER 2 ANARCHOTRANS

Chandīkālī Dīpī Tūnīgūjī

OLIVIERI

TH

ОДИССЕЯ 812

ДОБРОДУШНЫЙ МАГАЗИН

19.43.U.Josn I.2.3

M. GEORGES CAILLE

-3000 ft. above sea level. The soil is very poor.

卷之三

ANONIEM OFTEN WILDE

THE KING AND THE QUEEN

৩৪ মাত্রাসমূহের মধ্যে

2720 cl. cl. can A

CONTINUATIO.

Orem Pater cœlestis regum Regem,
Et dominantium Dominum renunciave-
rat, post renunciationem factam statim
turbis destitutus, ac cum bestijs agens patitur in-
ediam, atq; vexationibus Et ludibriis à Satana ex-
cipitur. Hæc apud animum reputans percelleris, Et
durius periculosusq; tibi imminere pertimescis. Si
namq; omnium rerum auter, ac viventia cuncta
copia Et satietate explens, fame totos quadraginta
dies premicur, an non esurie nobis occumbendum?
Si hostis impudens arma sumit in DEV M, quid
non audebit in creaturas miserias? si insanissimus
Satan voluit, ut is, qui stat inflexibilis Et immobi-
lis, cadere; ut damnatum is, qui damnaverat, ad-
oraret, quid sibi contrarios presumeret? quid contra
nos malicietur? nonne nos à DEO abducere, sedu-
cere, Et in æternum exitium precipitare totis ager
viribus? Recollige animum, sponte suâ Christus
ducitur, imò ipso jubente ducitur, (ejus enim velle
jubere est) atq; omnia nostri caussâ subit: Esurivit,
ut salutem per protoplastos amissam recuperaret;
tentatus, ut nos æternam victoriae coronam repor-
tarémus. Non enim possemus coronari, nisi hic vi-
cisset; non potuisse vincere, nisi certasset; non po-
tuisse certare, nisi inimicum Et tentatorem habu-
isset. Ergo hoc non tam horrendum, quam gratâ
potius mente colendum, recolendum. Quod ipsum
ut sit, ad contemplationem tum jejuniū, tum ten-

A 201 tatio-

tationis Christi nos accingimus, negotium com-
modè expedientes, tribus capitibus. Quorum pri-
mùm considerabit Christi jejuniū. Alterum
contemplabitur tentationem. Ultimum paucis
meditationem practicam, subjungeret.

THEISIS I.

In expendendo Iejuniū Salvatoris filum Evan-
gelistarum secururi ad tria membra calamum di-
rigemus: Primū exprimet jejuniū ἡργηγή-
μόνον: alterum ipsum jejuniū: ultimum je-
junū ἐπόμενον.

II. Antecedens jejuniū est ἐπαγωγὴ. sive Sub-
ductio in desertum. Subduktione autem hac ab
hominum frequentia abducitus, ut prodiret sum-
mus Ecclesiæ dotor & DEI legatus, tanquam ma-
gis e cœlo missus. quam assumitus ex oppido aliquo.
& communi hominum grege.

III. Initio circa ἐπαγωγὴ queritur: An per
eandem intelligendus raptus, quo Salvator
reipsa & localiter in cœlū evectus, in quo
Theologiam suam didicerit? De hac re
Smalcij tale habetur judicium: Planè verisimile
est, illud tunc temporis factum esse (loquitur de lo-
cali quādam ascensione & descensione Christi)
cūm Dominus Iesus jam baptisatus, & Spiritu san-
cto quidem donatus esset, munus autem suum non-
dum obire cœpisset, cūm scil. 40. dies & noctes,
absq[ue] cibo in deserto, non secus ac Moses conserva-
rus fuit. Et paulo post: Nobis id ita se habere per-
suasum, & hoc mysterium nobis per sacras li-
teras

teras revelatum esse plurimum gaudemus. Verum
affertio hæc Smalcij non modo non vero similis, ve-
rum etiam impia, & sacris literis è diametro op-
posita. Nam Spiritus sanctus, ut ex historia Evan-
gelica liquet 1. Christum expulit non in cœlum,
sed desertum. 2. non ut addisceret Evangelium,
sed ut tentaretur à Sarana. Matth. 4,1. 3. Non ut
frueretur jucundo DEI aspectu, sed Sarana, & erat
cum bestijs, & angeli ministrabant ei. Marc. 1, 13.
4. Finitâ tentatione non ascendit in cœlum, sed
Lucas cap. 4, 14. prioribus sequentia annexens
ait: Et regressus Iesus, ex deserto scil. in virtute Spi-
ritus sancti in Galileam.

IV. Deinde circa επαγγελίαν in specie perpendenda
1. Ejus causa efficiens, sive autor, qui ab Evan-
gelista Matthæo appellatur Spiritus, c. 4. v. 1. Quæ LUG. C. 4. V. 1.
lis fuerit Spiritus, Lucas exprimit, cum inquit: Spi-
ritu sancto plenus regressus à Jordane. Significatur
totum hoc factum suisse providentiâ divinâ, & non
fortuitò; neq; temerè, sed consilio Spiritus suisse
gubernatum. Nan quasi hactenus caruerit ductu
Spiritus: sed quod jam ab apparitione ipsius Spi-
ritus, manifestiore ipsius impulsu, & ad sublimiora
agi cœperit.

V. II. Locus, qui ἐγένετο, sc. desertum. Quale
autem hoc fuerit desertum inter omnes non con-
venit. Ut nemini hac in parte litem moveam, veri- 2 part. har-
rati non absuram censeo apixianem B. Chemnitij, mon. 6. 19.
& Cl. Dn. Präsidis, præceptoris & patroni colendi, p. 42.
intelligentium desertum magnum ob has rationes. in medita-

super homil. i. Reliqua deserta per additionē aliqua describuntur, ut desertum Iudeæ, Ziph, Maon &c. Desertum vero magnum sine additione. 2. in reliquis desertis quædam sunt hominum habitationes: sed in hoc deserto Christus cum feris per quadraginta dies vitam egit.

VI. Quæritur: An Eremitarum vitam suo exemplo docuerit Christus? Ex commoratione Christi in deserto Anachoreticæ Eremitarum austeriori & carnificinæ corporis Papistæ patrocinium querunt. Itaque verò Eremitam effecit tantum temporis, qui alias cum frequenti populo ita versabatur, ut ipsum præ Iohanne Baptista Iudei Epulsnem & Heluonem vocarent. Matth. ii. v. 19? An vel ex voto privato, vel ad imitationem aliorum, vel ex præscripto regulæ desertum adiit Redemptor noster, ut Eremitæ? Aliter sentit Matthæus docens: Spiritus divini impulsu Christum in desertum venisse. Præterea si qualiscunq; commaratio in deserto facit Eremitam, consequens, ut Christus Eremita quadraginta dierum fuit, ita 4000. viros triduanos Eremitas fuisse oportet, præsertim jejunos; & macie propemodum contabescentes. Marc. 8.

c. 4. p. 1.

VII. III. Finis, qui exprimitur his verbis Matthæi: προπατρίας τοῦ τε Αγλόλης Vocabulum προπατρίαν significat explorare, periculum facere, vel experimentum sumere de aliquo. Tentationis species duæ: Altera probationis, altera seductionis. Tentatio probationis, quæ DEVS hominum fidem & obe-

dientiam explorat, ut conspicua fiat, quemadmodum Abraham Gen. 22, v. 1. Mosen Exod. 15, 25. Israëlitas Exod. 20, v. 20. Deut. 8, v. 2. Tobiam Tob. 12, v. 13. aliosq; plures tentasse legitur. Tentatio seductionis est sollicitatio ad Apostasiam, vel impietatem. Et scelera, profecta sive à Satana ipso, sive à mundo, sive à carne propria, sive à ministris cocomonum improbis hominibus. Ut innoteat, quā tentationis specie Salvator tentatus, desertis verbis exprimitur tentationis autor Satanas.

VIII. Expenso ἀεγνηγμένῳ accessum facimus adjejunium, quod testamur Evangelistæ peractum toto illo tempore, quo in deserto communoratus, non in discrimine ciborum, sed totali abstinentiâ ab universo cibo humano, qui etiam loco deserto non suppetebat. Miraculose ergo divinâ virtute fini cibo sustentatus fuit, ut famem non sentiret. Et Matthæus diserte mentionem facit noctium; ne existimaretur tale suisse jejunium, sicut Iudei, per diem jejunabani, in vesperâ & nocte cibū samebant.

IX. Hac occasione queritur 1. An jejunia Pasticia approbanda? Tantum abest, ut talia jejunia approbemus, ut potius eadem ex veris Ecclesiis rejicienda, & eliminanda censeamus. Rationes urgentes sunt sequentes, 1. Quia talia jejunia sunt hypocritica, ridicula, Simoniacæ, tyrannica, blasphemæ superstitiosa contra meritum Christi, & doctrina dæmoniorum. II. De hoc ciborum delectu in tota sacra Scriptura N. Testamenti, nullum existat vel mandatum, vel exemplum, ideo ut mer-

Ἐγελοθρησκεία merèò improbatur. Matth. 28.
v.9.c.15.v.3. III. In N. Testamento sublata discri-
mina ciborum illa Levitica, quæ ab adversarijs
aliquo modo rursus introducuntur, contra expres-
sum verbi dīvīi mandatum. Act.10. v.15. Matth.
15.v. 17. I. Cor. 8,8. Rom. 14,17. IV. Hoc ciborum
delectu Ecclesiae, ac si necessarius esset, imposito,
Christianā libertas impugnatur, quæ tamen affe-
renda I. Tim. 4. à v. 1. usq; ad 5. Rom. 14. v. 3.
Coi 2.v.16.v.20.21.23. I. Cor. 10. v.15.

X. Queritur II. Quid in specie de jejunio
quadragesimali sentiendum? Pontificij ex-
hortacioni λιτιστρα quadam ī junium quadragesimale
Ecclesiae obtrudunt, sine divina autoritate, sic ratio-
cinantes: Christus quadraginta diebus jejunavit.
Ergd etiam nos oportebit per quadraginta dies
carnibus non vesci. Sed i. mera stultitia est, jeju-
num quadragesima ad Christi imitationem insi-
tuere. Neq; enim major hodie ratio est, cur hoc
Christi exemplum sequamur, quam fuit olim san-
ctis Prophetis, & alijs Patribus sub Lege, imitari
Mosis jejunium. At qui scimus nemini hoc in men-
tem venisse. Eliam solum, qui instaurande Legis
minister, simili fere de causa sine cibo in monte
quadraginta dies DEVS conservavit. I. Reg. 18.v 8.
II. Nihil affine cum jejunio Christi. Quotidie sic
farciunt ventre in prandio, ut cœnæ tempus facile
absq; cibo transigant. Quid simile cum jejunio
Filij DEI? III. Salvador & Moses non quoctannis
jeju-

jejunio defuncti sunt, sed uterq; se vel tantum ce-
ra vita. IV. lejunium Quadragesimæ consumelio-
sum est 1. in DEVM, quod singulare ejus miracu-
lum obscurat, quod eadidit, cum filium suum ex-
emit à necessitate edendi. Annon insanâ auda-
ciâ emulantur DEVM, qui idem sva virtute af-
fectant? 2. in Christum, qui suum illi insigne de-
trahentes, ejus spolijs se vestiunt. lejunio enim
suo Christus nostram ingluviam, similiq; peccata
expiavit. Annon dum meritum jejunio Papisti-
co tribuitur, Christus suâ gloriâ privatur. 3. In
Evangelium. Huic jejunio Christi finem DEVS
statuit, ut Evangelium ob-signaret. Qui in alium
usum transferunt, annon tantundem imminuunt
ex Evangelij dignitate?

XI. Consequens jejuniū esurie est. Ipsum je-
junasse quadragesima diebus, & consummatis illis,
deinde appetuisse, testantur Lucas & Mat-
thæus.

XII. Quæritur: An Christus verè esuriverit?
Furor Manichæorum, ut subruat veram Christi
humanitatem, obnoxium fuisse eundem nostris
infirmitatibus pernegat, & ipsum narrâ dōxnois
nq; Particularia passum, crucifixum, & mor-
tuuum tumultuatur. Ut ut autem humana Chri-
sti natura, quia ἀναμάρτυτος, & cum λόγῳ
personaliter unita passionibus & infirmitati-
bus, nedium morti ex naturæ conditione fue-
rit obnoxia: interim tamen, quia genus hu-

A S manus

CAP. II.

manum, CHRISTVM à morte & aeternâ damnatione, non nisi per acerbissimas passiones, infirmitates, & deniq; mortem ipsam redimi poterat: ideo Λόγος assumendo naturam humana assunxit etiam infirmitates istas, que ex peccato originam traxerunt: sed assumxit eas non quatenus culpæ alicujus respectum, sed quatenus pœna alicujus conditionem sortiuntur, & eas tanum, quas ab eo assumi opus redemptionis requirebat.

XIII. Eâ, quâ fieri potuit brevitate, expeditum ieiunium Christi, pedem promovemus ad tentationem Christi, cuius tractationem partim Υπικώς, partim eidinώς instituemus.

XIV. In genere evolvenda duo. Primum est: Cur Christus tentationes subierit, & cum Diabolo consertâ quasi manu luctatus? Hujus rei causas ponimus sequentes. I. Dulcissimis verbis exponit Epistola ad Hebr. c. 2. v. 17. c. 4. v. 15. In quo passus est, cum tentaretur. potens est ei, qui tentatur auxiliari. Item, non habemus Pontificem, qui non posset compati infirmitatibus nostris: sed tentatum per omnia secundum similitudinem, absq; peccato. II. Ut ostenderet inter se & Diabolum esse bellum αὐτοῦ δούλοv. seq; ideo venisse, ut sicut put Serpentis contereret. Gen. 3. 15. & opera Diaboli dissolvet, l. Ioh. 3, 8. III. Ut diceret ipsius ut capit is exemplo omnes etiam Christianos, ut membra, à primo baptismi tempore Satanam infessissimum hostem habituros. Syr. 2. v. 1. IV. Ut ostende-

reis

et quibus armis, & quomodo fides sese tentatio-
nibus opponere debeat. V. Ut in temptationibus ha-
beremus spē in victoria in Christo Iesu, qui Dux no-
ster contra fortem illum armatum factus. Natura
enim nostra, cūm adhuc integra esset, cūm hoc ten-
tatore congressa succubuit. Nunc verò natura hu-
mana in semine illo mulieris rursus victoriam ex
Satanā temptationibus retulit. VI. Ut temptationibus
comprobaret, se verum esse hominem. VII. Ut osten-
deret, illum ministerij Evangelij manus rectè obire,
qui prius varijs temptationibus probatus sit. De qui-
bus causis videatur harmon. Chemn. & Meditat.
Sacra Cl. Præsidis.

XV. Alterum est modus: An nimirum Chri-
stus occulte per suggestionem, an verò
manifeste per assumtam visibilem for-
mam à Satana tentatus? Viroq, modo tenta-
tum Christum asserimus. Lucas enim haut obscurè
innuit, temptationem incepisse statim, postquam
venisset in desertum. Procul dubio ergo acutis
ipsum telis petiit, partim ad Apostasiam intus sol-
licitando, partim objecta terrificā in deserto pro-
ponendo. Cūm verò hac non successit viâ, aliam
agreditur, & demum in palestram procedit mil-
le artifex, ut gravius tenter, à Christo vult lapides
converti in panes, mundi regna ostendit, & ade-
rationem petit, &c. quæ omnia Theologi ferè
omnes consentientes de visibili accessu Satane, de
horribili ejus larva, de sonora voce in aère forma-
tâ, de gestione lapidum in manu, exponunt.

16. In

XVI. In specie circa tentationem tres distincti Diaboli congressus cum Christo in contemplationem veniunt.

XVII. Primus congressus est diffidentiae. Is ut rectius enucleatur, perpendenda circa eundem tria: 1. Accessus Satanæ: οὐαὶ τοῖς λαβῶν αὐτὸς ὁ πρόδηλος. Quemadmodum in primâ tentatione in paradyso in corporali quadam specie Diabolus Eum tentavit. & super totum genus victor evasit: ita visibili etiam corporali aliquâ specie Christo apparet, spe inani victoriā consequendi.

XVIII. 2. Telum, quo Diabolus Christum ferire conatur, quod in his verbis habetur: εἰ οὖς ἐγεγίων. Quemadmodum in primâ tentatione in paradyso in corporali quadam specie Diabolus Eum tentavit. & super totum genus victor evasit: ita visibili etiam corporali aliquâ specie Christo apparet, spe inani victoriā consequendi.

Ante dies quadragesima audita est vox ē superiore aere, quæ te DEI Filium proclamavit. Et tu quidem es in illa opinione, ut te naturalem illum unigenitum Filium DEI esse auerumes. Quod autem vox illa nil nisi inane ludibrium extiterit, hinc colligere difficile non est, quod DEVS, qui contemptissimas etiam bestiolas alit, se interim cum fame inediâq; conficitantem manifestè negligit. Praeterea si Filius DEI esses. & vi potentiæ tuæ valeres lapides istos in panes convertere. Fac E. periculum, si libet, ego me præbebo spectatorem, quām pulchre scil. possis ē lapidibus illis panes facere. Quod si vero præstitu illud tibi impossibile, res ipsa tuam persuasione uti falsam redarguit.

XIX. 2. Teli declinatio. Ignitum hoc telum clypea sacrae Scripturae Christus rerundit, ex Deut. 8. v. 3. inquiens: οὐκ ὅτι εἴρηται μόνως ζήσεται ἀνθρώπος, αλλ' ὅτι πάντι ρήμαλι ὄχι πορθούμενῳ Διὰ σόματος ἐγεγίων. Hoc testimonium falso non nulli detorquent, quasi dictum esset, animas non ali pane visibili, sed DEI verbo. Est quidem id in se verum, sed alio respexit Moses. Nam cum nullus ad manus esset panis, commemorat

Man.

Man fuisse extraordinarium alimento populo, ut documento
restatum in omne tempus fieret, hominum vitam non esse inclu-
sam in pane, sed pendere à nutu & beneplacito DEI. Itaq; ver-
bum non pro doctrina capitur, sed pro decreto, quod DEVS pu-
blicavit, quoad tuendum naturæ ordinem, & fovendas crea-
turas. Responsio ergo Christi, tanquam fortiter verbo nitenis
est: Eisi esuriam, DEVS tamen sua potentia, ut hactenus tanto
tempore fecit, servare me potest, etiam absq; omni cibo, ut non
sit opus me ex lapidibus panes facere.

XX. Queritur: An Christus non potuerit lapides in pa-
nes convertere? Samosateniani, Ariani, Photintiani & hujus
farinæ alijs abutuntur p̄senti loco, ad æternā essentialem Deitatem
abnegandam, sic ratiocinantes: Christus non semper potuit mi-
raculum edere. Ergo non edidit miracula propriâ virtute, id
eoq; nec verus DEVS fuit. Verum paralogismum commi-
tunt, secundum non causam, ut causam. Nam causa hujus in-
termissionis erat, non quod non posset, sed quod noluerit graui-
ficari tentatori Satanae, ne DEVS tentaretur. Deinde non
erat in desertum consilio hoc subductus, ut ibi exercendis mi-
raculis vacaret, sed potius ut juxta voluntatem Patris à Dia-
bolo tentaretur. Preinde ut imperium illum Satanae persen-
siceret evidenter, manifestâ usurpatione & declaratione sua
majestatis hoc tempore se debuit abdicare, neq; extraordinaria
ratione miraculosâ, sed consuetis illis armis Satanae ine-
sultus accipere, quibus etiam armis reliqui Sancti utan-
tur, nimirum verbo DEI, tanquam divini SPIRITVS
gladio.

XXI. Alter congressus est confidentiæ præposterae, in
quo considerando circa tria versabimur. I. est περὶ χριστὸν, quod
dico

duo continet: 1. ὁ Διάβολος. Assumit enim Diabolus Christum
e deserto in sanctam civitatem Hierosolymam, quae nāt̄ ἐξ οχλου
sancta dicitur, quod sedes esset divini cultus, & quod ibi templum
DEI, cum arca propitiatorij. 2. σύνοις. Statuit ipsum super pin-
naculum templi, id est, summum fastigium templi.

XXII. Queritur: An revera & corporaliter Diabolus Chri-
stum per aērem in sublimi secum duxerit ad pinnacu-
lum templi: an vero tales præstigias objecit oculis &
animo Christi, ut putaret se circumduciri, & in pin-
naculo tempi periclitari, cum revera esset in deserto?
Cheirinus ex Harmonia ad propositam questionem responsionem
fucimus nostram: Etsi magna fuit Filij DEI exinanitas, nescio ta-
men, an conveniat sentire, Diabolum præstigis suis, ita potuisse
vincipare mentem & animum Christi, ut ne faciat ubi esset, & ita
in cogitationibus falleretur. Non errabit. E. Opinor, qui verba
Evangelistarum, simpliciter de circumdatione, sicut sonant, re-
tinebunt. Matthæus verbum habet ὁ Δαλαμεῖδης, Lucas ἀν-
τίφων. Ut ergo utitur verbo Ἰησοῦ, quæ verba tunciam assumptionem
& stationem significare videntur.

XXIII. II. Λεχθὲν, in quo duo cognoscenda. 1. ὡργασίς ex-
pressa his verbis: εἰ ύστι τὸς Ιησοῦς, βάλε σταυτὸν κάτω. Ac-
si diceret: Quandoquidem ita pendes à providentia Patris, ut ne
esuriens quidem in summa rerum penuria dubites, te ab illo etiam
sine pane sustentari posse, bene est: te ipsam iam deorsum præ-
pila; ut magis etiam ostendas te ab eis providentia pendere nihil
enim inde tibi periculum futurum. 2. Βεβαώσις, quam pro-
ponit Sicutas his verbis: γέγενθας. Θπτοις διγένοις αὐ-
τῷς οὐτε λεῖται τῇσι σὺ, οὐδὲ οὐτὶ χρεῶν γέγοντι σε, μηδοτε
αργοκόψῃς τεργελισθεὶς τὸν πόδα σὺ. Verborum sensus: Et ne
forte metuas, hoc cum periculo quedam fore conjunctum: Enī vidi
salvum

Salvum conductum Scripturæ testimonio promissum, scriptum est,
de omnibus filijs DEI, maxime de te, tanquam naturali Filio DEI
(si modo vera illa vox apud Iordanem auditæ) mandavit angelis
suis de te, ut tollant te manibus suis, ne quando impinges in la-
pidem pedem.

XXIV. III. A πονεστις Salvatoris, quâ Satanam confundit con-
prehensa sequentibus: πόλιν γεγαπται, τοκέντησθε οὐ-
ειον τὸν Γερὸν σὺ. Hac suâ responsum proponit hanc admoni-
tionem: promissiones DEI ita esse intelligendas, & in usu ad si-
duciam accommodandas, ne DEV M tentemus. Tentare autem
DEV M aicitur, qui non ordinario, sed ex præsumptione, vel circa
necessitatem querit experimentum potentiae sapientie, bonitatis,
et veritatis DEI.

XXV. Ultimus tentationis congressus est διαστοσίας. Hunc cum
Lucas secundo loco periractarit, inquiritur causa discrepan-
tiae. Non fuit propositum Evangelistis historiae filium sic con-
texere, ut temporis rationem semper observarent exactè, sed re-
tuunt tantum summam colligere, ut in speculo & tabula propone-
rent, qua de Christo maxime utilia sunt cognitu. Tenere ergo sus-
ficiat, Christum tribus modis sibi esse tentatum, quod autem vel ter-
tium, vel secundum fuerit certame, non est, cur anxie labores enus.

XXVI. Cognitioni ultimi hujus congressus tria in servient. Gau-
sa procatastica, sive tentationis objectum, quid est mon-
stratio omnium regnum, & mundi gloria, arg. ab Evangelis
nobis ita proponitur: Ηγιαδαγαγεν αυτον ο Διάβολος
εις ὅπερ υψηλον, εδεξεν αυτων παους της βασιλειας
ομομενης, εν συμφυγον.

XXVII. Queritur: Quomodo Diabolus Christo omnia
regna mundi, & gloriam in monte quovis ostendere
potuerit, idque in momento temporis? Missis reliquorum

opinio-

opinioribus acceptamus. B. Hunnii hac de re sic in locum præsen-
tem scribentis: Mirabitur quispiam, quo pacto Diabolus Christo mon-
strarere potuerit omnia regna mundi huius, cum non sit ullus in orbe
locus tam excelsus, è quo vel unum regnum ei monstrare potuerit.
Sed nodus solvit ex Luca, ex quo sit patrem, non ipsa regna, sed
quoddam nominum phantasma fuisse oculis Salvatoris objectum à
Satanæ. Et monstratum, quod mundi hujus regna gloriæ representari.

XXVIII. II. Ipsum tentamen, quod huius verbis: Ηγαλειδ αυτω,
ταῦτα οἱ δῶσω, εἰς πεσόντας τρυπηθήσεις uoi. Spes hujus
tentationis fuit, ut bæreditatem, quam DEVS Filio promisit,
Christus aliunde, quam à DEO ipso petoret. Deinde ut illectus mun-
di pompa se subiceret Satana, ac eundem adoraret.

XXIX. III. Reponsio Salvatoris, quâ ignitum & venenar-
ium telum potenter elidit, hostemq; in fugam ruit, estq; talis:
Ὕπαγε σατανᾶ. γέχεαπαι τὸν κύριον τὸν Ἰησὸν σὺ τρη-
πουνίος μηδὲ μονώ λατρεύσεις. Perinde ac si diceret:
Facesse cùm impudentia tua postulazione improbe. Et maledicte Spiritu-
tus, ego te gehennæ mancipium adorem, aut eum cultum tibi tri-
buan, quem lex divina unico & soli DEO sult assertum? ego abs-
te regnum mundi potestarem capiam? Id vero a me absit. Sic pau-
cis de temptatione Christi.

CAP. III.

XXX. Christum ex præmissis constat integros quadraginta dies
ab omni cibo & potu abstinuisse, quid tibi, ô homo, faciendum
teris? Jejuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitez,
nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concale-
scas, jejuna à malis actibus, abstine à malis sermonibus, noli
cōtingere panes furtivos perversæ doctrinæ, non coucupisces
fallaces Philosophiz cibos, qui te à veritate seducent. Liquet
etiam à Diabolo Filium DEI unigenitum esse tentatum: Ali-
enum ergo sit ab homine Christiano, ut is tentet DEUM, indi-
scrè periculo alicui se committendo, per incredulitatem ali-
quod ab ipso petendo, miracula sine necessitate postulan-
do, divino adjutorio terminum ponendo, vel præscri-
bendo, DEI præscientiam per experimentum in-
dagando, Christum sermone capiendo.

τῷ Θεῷ δόξα.



